

thematica, aut astronomica, quæ astrorum cursus, proprietatesque considerat, et ex illorum variâ sive naturâ, sive congressione, futuros rerum eventus coniectat et præsentit. In hæc enim philosophiæ parte excelluerunt Ægyptii atque Chaldæi, qui hoc loco dicuntur Orientales, de quibus supra capite 3, versiculo 12. Hæc clarius Sap. capite 7, versiculo 17: *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram ut sciam veram dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinumque permutationes, et commutationem temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt abscondita et improvisa didici.* Ex quibus constat nihil latuisse Salomonem, quod humano solet studio, atque doctrinæ comparari solertiâ, et, quod perquam rarò contingit (si tamen aliquando contingit, nisi quibus id constat datum esse divinitus) scientiarum omnium absolvisse encyclopediam.

VERS. 31. — SAPIENTIOR ETHAN. Quinam isti fuerint quos Salomon sapientiâ superavit, incertum est. Illud autem verisimile Ethan fuisse aut poetam, aut musicum, qui Psalmis aut concinnandis, aut pangendis eximiam daret, et suavissimam operam: unde etiam coniectare possumus alios quoque, qui cum illo hoc loco annumerantur, ejusdem esse ministerii, atque

regionem incolerent Græciæ maximè propinquam, atque iter maximè esset commodum, Græci eas regiones sæpius frequentarunt, atque consuetudinem cum gentibus illis detinuerunt frequentissimam ac suavissimam. Ægyptii verò celeberrimi rerum suarum laudatores, veram cæteroqui antiquitatem et scientiam suam plus nimio exaggerarunt; quibus obsequium et fidem conciliabant mysteria, quibus illorum dogmata obvolvebantur. Aiebant illi, sapientiam, vel philosophiam translata fuisse in Chaldæam, coloniâ ex Ægypto ductâ. Sermo est equidem apud Diodorum Siculum lib. 1, de coloniâ Ægyptiorum, quæ sub Belo in Chaldæam venit. Vicissim autem Chaldæi prima scientiarum semina à suis in Ægypto sata esse defendunt. Sunt qui credant, per Abrahamum derivatam eò fuisse astronomiam cum reliquis scientiis. Utcumque res habeat sese, Salomon acceperat à Deo mentem excultam rebus quibusque utilissimis et gravissimis omnium quæ apud Orientales et Ægyptios docerentur. Nôrat astronomiam, astrologiam, scientiam temporum, arithmeticam, dispositionem universi, virtutes elementorum, naturam animalium, qualitates plantarum, œconomiam, architecturam, magiam naturalem; denique physices abscondita omnia pervasit. (Calmet.)

artis. Sanè Ethan inter cantores numeratur libro primo Paralipomenon capite 15, versiculo 19, et iterum nomen ejus auditur in titulo Psalm. 88, cujus hic est titulus: *Intellectus Ethan Exraite.* Quare aut illum composuit, aut modulatus est; cum autem comparatio fieri soleat inter eos qui eodem continentur genere, verò est plusquam simile Salomonem musicæ quoque fuisse scientissimum: nam mirificum fuisse poetam argumento nobis sunt Cantica Cantorum ab illo composita, quibus nihil in eò genere potuit excogitari sublimius, nihil elegantius. Scio ab Hebræis, ut auctor est in Traditione Hieronymus, existimari his nominibus significatos esse, licet obscurius, Abraham, Moysen, Joseph, et duodecim tribus Israel. Scio in *Seder olam* cap. 20, hos existimari Ægyptiorum sapientes. Sed planè nomen Ethan Hebræos esse docet: et ita putat Josephus lib. 8, cap. 2, quod communiter sequuntur interpretes.

VERS. 32. — LOCUTUS QUOQUE EST SALOMON TRIA MILLIA PARABOLARUM, ET FUERUNT CARMINA EJUS QUINQUE ET MILLE. Non dubium est, quin plura carmina, parabolasque locutus fuerit, scripseritve Salomon, quam quæ nunc habemus. Ut enim alii exciderunt libri ex Scripturâ sacrâ, qui non semel in eadem Scripturâ citantur, sic etiam verisimile est excidisse multa carmina, parabolasque multas præter illa, quæ nunc legimus in Salomone prodita. An verò parabola canticaque, quæ nunc habemus, in tribus parabolarum millibus, et quinque ac mille carminibus contineantur, incertum est. Mihi magis verisimile est hæc ad illorum pertinere numerum, et ex eis injuriâ temporum excidisse quamplurima. Illud obscurius, an hæc, quæ nunc habemus, et reliqua, quæ perierunt nobis, et quæ agnoverunt antiquissima secula, monumentis tradiderit Salomon, an ab illius ore acceperint alii, ut gravia apophthegmata, dignaque memoriâ in scripta retulerint; incertum est. Quidam hæc jactata putant familiaribus hominum sermonibus, et non tam ex scriptis, quam ex memoriâ ad familiarem usum, et doctrinam exprompta, ac tandem postquam illorum perière non pauca collecta ab Ezechiâ, et in illum ordinem redacta, quem nunc habemus. Id verò indicat locus ille Proverb. 25, versiculo 1: *Hæc quoque parabola Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechie regis Juda.* Quod si ita est, ut planè videtur verisimile, maximè cum Salomon non dicitur scripsisse, sed locutus fuisse parabolas, non

eodem modo videntur ab Ezechiâ servis et eodem ordine fuisse digesta, quo à Salomone prolata. De scriptis Salomonis vide plura apud Sixtum Senensem lib. 2 Bibliothecæ, v. *Salomon*, ubi plus eâ de re satis.

VERS. 33. — ET DISPUTAVIT SUPER LIGNIS, A CEDRO QUÆ EST IN LIBANO, USQUE AD HYSOPUM, QUÆ EGREDITUR DE PARIETE (1). Quæ supersunt ad finem usque capitis obscura non sunt: tantum enim adhibita multarum, occultissimarumque rerum cognitione docet scriptor sacer Salomonem magnum fuisse philosophum, cum nihil usque adeò occultarit natura, quod ipse non fuerit assecutus; multa nostros effugiunt sensus, quia valdè sublimia, quia sunt cœlestia, quæ ab humanis oculis longè recesserunt; alia, quia latent in terræ visceribus, neque ad nostros oculos, nisi adhibita solertiâ, et magno labore foras evocentur; alia, quia exigua sunt corpuscula, neque ullo hominum sensu deprehendi possunt, nisi attentè quis ac sedulo in illorum cognitionem incumbat. Nihil tamen horum Salomonis latuit intelligentiam. Quod de seipso ait Sap. 7: *Quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici.* Absconsa sunt cœlestia, quia à nostris sensibus altè sublata; at cognovisse se dicit, *anni cursus et stellarum dispositiones*, quod facit astrologus. Absconsæ sunt in terræ visceribus, et altè defossæ plantarum radices; illarum tamen virtutes ad multiplices effectus assecutus est: quid argenti atque

(1) Il n'y avait rien dont il n'eût l'intelligence, et dont il ne pût parler à fond. Ce qui nous reste de ses sentences dans les livres de l'Écriture, nous inspire de la vénération pour tout ce que nous n'avons plus, et la curiosité de l'esprit humain se porterait principalement à désirer de connaître tous ces secrets de la nature qu'il avait développés avec une si profonde lumière, et qu'on regarde comme pouvant être si utiles à la conservation de la vie et de la santé des hommes. Mais comme il n'arrive rien, principalement dans des choses si importantes, sans un ordre exprès de Dieu, lorsque nous voyons, d'un côté, qu'il souffre que tant d'excellents ouvrages de Salomon soient perdus, et que de l'autre, il a conservé avec tant de soin les Psaumes de David, son père, nous devons sans doute reconnaître combien il a témoigné par là préférer les ouvrages de piété à tous les ouvrages de science, et combien il veut que ses Écritures servent plus à nous échauffer le cœur, comme font les psaumes, qu'à éclairer l'esprit, comme pourraient faire tant d'écrits de Salomon que nous n'avons plus. Ce qui apprend à tous ceux qui sont engagés à écrire ou à parler des choses de Dieu, à chercher aussi plutôt ce qui peut nourrir la piété, que ce qui peut satisfaire la curiosité de ceux qu'ils instruisent.

(Sacy.)

auri, quid pretiosorum lapidum in reconditis terræ venis obduresceret, exactè cognovit. Ventorum vim et proprietates, volucrum naturam, lapsus et cantus, quæ vagantur in aere, non ignoravit; non multiplices naturas belluarum, quæ gradiuntur, aut serpunt super terram; non piscium, etiamsi se in profundissimis aquarum latebris abscondant, cum tamen infinita propè sint genera aquatilis naturæ. Alia enim sunt altè demersa, alia innatant, alia fluitant, alia ad saxa nativis testis adhærescunt. Hæc aperta sunt, et facilè patent ex textu tum hoc loco, tum Sap. 7; illud obscurius, quod ad extremum additur, disputasse nimirum Salomonem de lignis, id est, de plantis, ubi ars illius medica declaratur à cedro ad hysopum usque, quæ in parietibus nascitur, atque ideò non potest esse non exigua.

Quid sit hysopus obscurum est; illud videtur certum, herbam esse exiguam, quia cedro opponitur Libani, quæ Hebræis nulla planta visa fuerat, aut existimata procerior, quia in suâ se regione continuerant, neque alia nôrant arborum genera, quæ cedro sunt multò magis sublimia. Ubi Vulgatus, *hysopus* Hebraicè est *ezob*, de cujus significatione mirè variant interpretes. Hebræi organum esse putant; sic sanè Rab. David in suo *Miclol* vocem adhibuit Hispanicam *oregano*. Sed neque hæc herba usque adeò humilis est, neque in pariete communiter nascitur. Abulensis quæst. 8, spartum esse putat, ex quo funes fiunt. Sed unde id coniectet non video, cum sparto sint alix viliores herbæ, et ipsum non proveniat in pariete parietinisve, sed in campis latissimis, sicut passim in Hispaniâ videmus. Adde quòd hic aliquid propositum videtur Hebræis familiare, certè non ignotum; at fortassè Hebræorum nullus, qui eâ Salomonis ætate vixit, spartum viderat, cum herba illa in unâ tantum nascatur Hispaniâ, ut auctor est Plinius libro 19, capite 2. Nam, si quod in Africâ, vile est, et inutile. Quare utcumque sit in Palæstinâ non apparet. Levinus Lemnius adiantum putat libro de herbis biblicis cap. 16, cui Pineda subscribit in suo Salomone prævio lib. 3, cap. 22, quia hæc herba ad rem medicam magnos usus habet, et in parietibus nascitur humilibus, et in puteis, et speluncis, ubi juges sunt aquæ, quibus assiduè aspergitur, aut rigatur herba; et ideò ab Hispanis dicitur *culantrillo de pozó*. Cui cogitationi illud nonnihil favet, quòd hic illa nota esse dicuntur Salomoni, quæ et ipsa maximè sunt manifesta, et quæ ma-

vim occulta; tum etiam quæ magna sunt, et exiguo suo quæque modo vehementer. Cedrus procera est, et eâ de causâ manifesta maximè; adiantum, ut constat, admodum exiguum, et quia in puteis nascitur, locisque obscuris, et humentibus, et intra ipsum penè terræ sinum, atque complexum, quod nunquam sol attingit, aut certè rarò, ac modicè, obscurum est: ut ergo Salomon dicatur novisse exigua et magna, et tam occulta, quàm manifesta, nihil videbatur posse afferri magis idoneum, quàm cedrus et adiantum.

Ego nunc dubito *ezob*, optimè à nostro interprete, tum hic, tum etiam aliis multis Scripturæ sacræ locis *hyssopum* esse redditum. Quod, ut cogitem, rationes me non leves, ni fallor, adducunt. Duo *hyssopi* genera Dioscorides agnoscit lib. 3, cap. 26, montanum et hortense. Prioris generis magna vis est in caracinis vulgo Hispanorum, *Alcarria*, ubi ego extremis hisce temporibus ætatis meæ commoratus sum, et hæc, quæ nunc molior, magnâ ex parte confeci. Ibi familiaris *hyssopus* illa, quæ montana dicitur, nasciturque plerumque in locis asperis, saxosis, imò inter saxa, ex quibus tractus ille ad vinearum, hortorumque custodiam, maceriam ædificat; quæ reverà vocari potest paries, sicut etiam paries dicitur murus è lapide constructus. Cùm autem parietes, qui in regione Israelitide, quæ tota saxosa est, excitentur è saxis, ut ipsa regionis natura postulat, herba quæcumque inter illa saxa nascitur, in pariete dicitur nasci. Sanè ipsum nomen *maceria*, in Scripturâ frequens est: est autem maceria paries è lapidibus, aut lapides in parietis modum aptè dispositi. Hinc audimus cavernam *maceria*, ubi Cant. 2, commorari dicitur columba, et colubrum sæpè in *maceriâ*, aut septo latere legimus, quod non contingeret, nisi essent è lapide compacta, in quibus pro columbarum nidis, et serpentium latibulis, opportuni relinquuntur sinus, atque foramina. Sic Eccles. capite 10, versiculo 8: *Qui dissipat sæpem, mordebit eum coluber.* Amos 3, vers. 19: *Innitatur manu suâ super parietem, et mordeat eum coluber.* Et clariùs Proverb. 24, vers. 31: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, etc., et maceria lapidum destructa erat.* In his ergo *maceriis* nasci *hyssopum* verisimile est, sicut in aliis locis, et nos sæpè vidimus, et alii se vidisse testantur. Sanè Pena nasci *hyssopum* tradit in locis asperis, et saxorum angustiis.

Quòd hic scriptor sacer *hyssopi* meminerit,

cùm de humili herbella ageret, cùm alia plures essent magis ignobiles, atque humiles, ea ratio est, quia cedrus et *hyssopus* variis locis inveniuntur in Scripturâ sacrâ conjuncta. Unde hæc duo proverbiali, ut reor, specie ab Hebræis tunc usurpantur, cùm nihil significant in aliquo genere esse reliquum, aut cùm omnia significare volunt. Quo modo dicimus: *À vertice ad calcem; à regis usque ad ancillâ filium; à pauperum tabernis, usque regum turres,* et similia. Notum, opinor, hoc proverbium, quia in lustratione expiationeque ligno cedrino adungebatur *hyssopus*, ex quibus fiebat aspergillum. Num. capite 19, versiculo 6, et Levit. cap. 14, versiculo 4, 6, 49, 51, 52. Cùm ergo ista duo tam inter se dissimilia jungerentur, quid mirum si in proverbiali dicendi modo conjungantur, de cedri, *hyssopique* virtute medicâ illorum disputare est, qui res tractant medicas; certum tamen est utriusque magis esse ad medicinam usus, atque ideò non inutilem fuisse Salomoni aut cognovisse sibi, aut tradidisse aliis, quid de utriusque virtute consecutus sit.

Hæc et similia alia, quæ vim explorant naturæ, componuntque mores et divina intuentur, nemo dubitat honesta esse, et à Salomone indagari, atque tractari potuisse. At fuerunt alia, quæ aut Salomon didicit suâ industriâ, neque satis pio laudabilique conatu; aut certè ab aliis illi tribuuntur immeritò, à quibus abesse posse non videtur superstitio. Qualis est magia, non illa naturalis, quæ ex causarum multiplici congressu futura conjectat; sed quæ diabolicis seducta præstigiis non tam instituit hominum mentes, quàm transvertit et cæcat. Hanc verò magiam neque novit, neque exercuit Salomon, nisi cùm à divinâ religione et cultu, dùm suo genio, atque gentiliū feminarum voluntati intemperanter indulget, ad gentiliū mores et sacra defluxit. Tunc enim sicut alia plurima flagitiosissima meditata atque complexus est, sic etiam hic artem ab ipsis etiam gentibus non omninò probatam didicisse, atque exercuisse videri potuit. De quâ tantum dicam, quæ de illius efficacitate atque usu tradit Josephus lib. 8 Antiq. cap. 5; illorum liberum iudicium aliis relinquo, qui eâ de re consulere poterunt S. Thomam, quæst. 6 de Potentiâ, art. 10, ad 3, et Vicioriam, relectione de Magiâ. Sic autem Josephus: *Èa de re divinitus consecutus est ad utilitatem, et medicam hominum, quæ adversus dæmones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus*

bus morbi pelluntur, et conjurationum modos scriptum reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut in posterum nunquam revertantur. Atque hoc sanationis genus nunc usque plurimum apud nostros pollet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum in præsentia Vespasiani, et filiorum, et tribunorum reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem. Modus verò curationis erat hic: Admoto naribus dæmoniaci annulo (hic aliter dicitur Salomonis clavicula), sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad cuius olfactum extrahebat per nasum dæmonium, et collapsomox homine adjurabat id, ne appliùs rediret, Salomonis interim mentionem faciens, et incantationes ab illo inventas recitans. Volens autem Eleazarus his qui aderant ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut pollubrum aquâ plenum, imperabat dæmonio hominem exeunti, ut his subversis signum daret spectantibus, quòd reliquisset hominem. Hæc Josephus; quid de Salomonis exorcismis, claviculâ, aut annulo, aut vi magicâ alii senserint, et quid eâ de re scriptis prodidisse existimatur, tradit Pineda libro tertio, capite 29, in Salomone prævio, ubi putat illorum plurima esse nugatoria, et falsò ab aliis Salomoni supposita, quòd mihi etiam semper visum est. Quo modo hos Salomonis libros de re physicâ ac medicâ Ezechias combusserit, vide infra lib. 4, c. 18, vers. 8.

VERS. 34. — ET VENIEBANT DE CUNCTIS POPULIS AD AUDIENDUM SAPIENTIAM SALOMONIS. Magniū erat artis et humanæ potestatis, liberalitatisque miraculum Salomonis templum, quod ad suum conspectum curiosos hominum oculos undecumque terrarum advocare poterat, sed planè majus in Salomone naturæ, à divinâ tamen liberalitate cumulata miraculum, in quo tanta splenduit doctrina, tanta sapientia, ut Eccl. cap. 47, versiculo 16, cum flumine comparatur, quod et alveum complet, et interdum exundans circumjectos rigat et fecundat agros. Sic autem ibi de Salomone: *Impletus es quasi flumen sapientiâ, et terram retextit anima tua* (id est, aperuit quæ in terrâ ad illud usque tempus fuerunt occulta, sive, ut alia habet lectio, textit et inundavit terram, sicut flumen, quod dùm excedit ripas, terram operit

CAPUT V.

1. Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem (audivit enim quòd ipsum unxissent regem pro patre ejus),

fluctibus), et replesti in comparationibus ænigmata; ad insulas longè divulgatum est nomen tuum, et dilectus es in pace tuâ, in cantilenis, et proverbis, et comparationibus, et interpretationibus mirata sunt terræ. Id planè videtur hoc loco significari. Nam cùm Salomonis sapientia totum complèset orbem, et, ut usu plerumque evenit, aliquid rumor adderet veritati, fiebat ut multi audiendi, videndique Salomonis studio longissimam susciperent peregrinationem, et ab extremis terræ finibus venirent Hierosolymam; quod de reginâ Saba legimus infra, cap. 10, et clariùs Matth. 12, v. 42, *quæ venit de finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Hæc verò tanta multitudo à Salomone edocta latè disseminavit traditas à Salomone parabolas, cantica et ænigmata, quorum argutias et pondera admirabatur terra. Neque illustris illa Salomonis templi atque admiranda moles tam adducebat peregrinorum hominum curiosos oculos Hierosolymam, quàm illorum curiosas aures, ut tantam Salomonis sapientiam audirent. Quod de Tito Livio ad Paulinum scripsit Hieronymus, hoc de Salomone poterat scripsisse veriùs. *Ad Titum Livium, inquit, lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent.*

Huc facit quòd ex omni natione viri principes difficiles quæstiones, sive de moribus et officiis, sive de occultis naturæ sacramentis ac viribus ad Salomonem per litteras tanquàm ad unicum orbis oraculum referebant. Ita sanè Josephus lib. 8, cap. 2, de Hiram Tyrriorum rege: *Quæstiones, inquit, ænigmaticas Tyrriorum rex ad Salomonem transmisit, rogans ut eas explicaret, et dubitationem sibi omnem eximeret. At ille callens hujusmodi rerum, ac naturâ prudentissimus nihil inexplicatum relinquebat, sed omnia ratione pervincens, et perscrutatus eorum intellectum, apertissimè declarabat.* Alia adducit ibi Josephus ex alienâ sententiâ de quæstionibus sive à Salomone solutis, sive à Salomone propositis, quæ neque ipse probat, neque videntur esse probabilia.

CHAPITRE V.

1. Hiram, roi de Tyr, envoya aussi ses serviteurs vers Salomon, ayant appris qu'il avait été sacré roi en la place de son père;